



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

XIII. Primarij cuiusdam Brachmanis conuersio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

74 VITAE GASP. BARZAE I  
nes, consulentium de conscientia  
quæstiones, agrorum in nosoco-  
mijs visitationes, & aliæ propè in-  
numeræ occupationes, mirum vt  
fuerit, vnum hominem rebus ita va-  
rijs suffecisse. Sed profectò mirum  
est, quantum possit, adiutore Deo,  
vel vnus virtus & industria, qui se  
diuinæ gratiæ blandiente corpus-  
culo non subducit.

CAPVT XIII.

*Primarij cuiusdam Brachmanis  
conuersio.*

**Q**VAE hætenus commemora-  
ta sunt, cum Lusitanis aut ne-  
ophytis Christianis ageban-  
tur: sed vt etiam de Gentilibus bene-  
mereretur, opportunitatem Domi-  
nus hanc suppeditauit. In carcere,  
vt dixi, frequens erat Gaspar, & ad  
captiuos verba faciebat, in quibus  
vnus è Brachmanum primoribus,  
Locu dictus, tum fortè numeraba-  
tur, tanti apud suos nominis, vt in-  
ter Principes sectæ censeretur. Gas-  
parem ille clam ad Christianos di-  
centem



centem audiebat. Itaque, quod erat, hominem à nostra religione nō alienum suspicatus omninō aggredi statuit, offendiſque permultis Brachmanibus ſtipatum, quibus ſe alterius primarij eius ſectæ viri filius, Chriſna nomine, adiunxerat. Tum Gaſpar cælit⁹ ſe ſenſit impelli ad eorum ſalutem; ſumptaque à colloquentibus occasione, de gentium erroribus & Brachmanum ſecta fuſè diſputatum; ex noſtra quoque lege aptis ſimilitudinibus & rationib⁹ è natura petitis ea probata, quæ ſibi confirmari cupiebant. Demùm ſæpius conuictos Gaſpar monet, vti lucem à Deo veritatis auctore infundi ſibi petant; ſimul addidit quædam, quæ taciti ſecum ipſi ruminarent. Irriſit quædam filius ille Chriſnæ petulantia iuuenili; Locu pacatiorem omninō ac paratiorem ſe præbuit, quippe poſt biduū miſit, qui Rectori diceret, cupere ſe fieri Chriſtianum. Stupuerunt ad hæc Patres, hominem primò congressu ſuperatum manus dediffe



veritati: atque illum, ante omnia gratijs Deo actis, commendant, ei-  
 que constantiam comprecantur. In-  
 de Rector cum Gaspare ad eum sese  
 confert, quibus gratulantibus re-  
 spondit Locu, vereri se admodum,  
 ne cui fortasse libertatem ementita  
 religione procurare videatur. Pri-  
 mū itaque secupere vt iure iustitia-  
 que seruata hui' rei ratio habeatur;  
 inde ita præfatus baptismum petit,  
 iam certus, vt aiebat, hanc vnicam  
 ad salutem, quæ cæteris rebus  
 antiquior esse debet, superesse  
 viam.

Homine collaudato confirmato-  
 que ad Proregem Patres eo in scio  
 pergunt, & ab eodem facilè impe-  
 trant, vti solutum in Collegium  
 Christianis mysterijs imbuendum  
 abducerent. vbi ille octauo post-  
 quam aduenerat die tantūm profe-  
 cit, vt iam baptizari posse videre-  
 tur. Interim auctore Gaspare man-  
 dârat Rector alijs tribus Collegij  
 Patribus, cuique ex indigenis alum-  
 nis socio assignato, vt in Gentilium  
 conuer-



conuersionem incumberent; & inter eos, qui ex hac piscatione in sagenā compulsi sunt, fuit ipse Locu, sorore nepos, & alius vir quidam inter eos primarius. Demum ubi iam satis instructus fuit, in æde D. Pauli visum est solemniter eum simul cum coniuge, quæ iam mariti auctoritatem libens sequebatur, salutaribus baptismi aquis expiare: & ad religionis Christianæ dignitatem pertinere, ut ea res quanto maximo posset apparatu curaretur. Episcopus itaque non permisit, ut ab alio quam à se baptizaretur; Prorex uero Patrimum, ut vocant, egit magna sua voluntate. Porro cum in templum nostrum unà cum Episcopo ac Prorege uniuersa nobilitas conuenisset, festo cantu, & ad rem apta concione, magna omnium, sed præcipuè illius qui baptizabatur, lætitia, est in Christi familiam, unà cum coniuge ac sororis filio admissus. Locu, ne procul ab antiquo nomine recederent, Lucam; uxorem, Elizabetham; nepotem, Antonium no-

*Baptismus celebris.*



minarunt: quibus ita perfectis neophytos in equos nobiles impositos ad domum Roderici Gonzalez, viri primarij Lusitani, Prorex & nobilitas vniuersa cum Brachmanibus quoque permultis equestri pompa comitatur. Interim festo vel campanarum sono, vel tormentorum boatu, vicis virenti palma instratis, publicam omnes lætitiā testabantur: quæ res totos dies octo ad fidei nostræ commendationem perdurauit.

Illum deinde Prorex, quoniam ita cum neophytis agi volebat Rex Lusitaniæ, fidei quam limitum producendorum appetentior, multis honoribus & immunitatibus affectum reddidit libertati, & Tanadar maiorem, quæ dignitas erat inter suos prima, nominauit. Hanc hominis conuersionem multi liberalitati illius in pauperes arrogarunt: quippe ante fidem susceptam, ut erat fortunatus, & supra 600. pardos annuos possidebat, ita erat panè profusus, etiam in ipsos munificus

Lusi-



Lusitanos. Ex eius conuersione magnam in spem ventum est, totam illam insulam breui fore Christianam: atque indigenam sanè plerique dicebant, filios parentis breui exemplum (tanti apud eos erat) secuturos. Ipse verò sua salute non contentus, sperare se plures ad Christianam fidem adducturum, quam quot haberet in corpore pilos, dictitabat. Nec spem fefellit euentus: nunquam ex eo tempore in D. Pauli collegio deerant catechumeni, quibus multi sacris aquis frequenter tingebantur.

## CAPVT XIV.

*Profectio Gasparis in Chale.*

**I**NTERIM dum eo cursu Goæ res Christiana vel Gasparis vel sociorum sudore procedit, tristes de B. Xauerij in Commorino gloriosa, sed atroce nece seruntur rumores: faciebantque fidem enumerata sigillatim tormenta. Quod vt auditum est, subitò tâta fuit Goæ comploratio, quanta in communi